

Q. D. B. V.

Disputatio Juridica
De
OBLIGATIONE STUDIOSI STIPENDIARII,

Ad

Specimen Eruditionis edendum.

Quam

In Inclyto Gedanen. Athenæo,

PRÆSIDE

DN. JOHANNE SCHULTZIO,

J. U. D. Ejusdem & Histor. P.P. ut & dicti Athenæi inspectore

Fautore & Præceptore suo ætatem devenerando,

In Auditorio Maximo

Horis matutinis

Anno M. DC. LXXXX. D. XIV. Septembr.

Solenniori Disquisitioni exponet

MICHAEL PAULI, Gedan.

Alumnus hactenus Oelhafian.

GEDANI,


Typis Davidis Friderici Rhetii.

STipendiorum Materiam e fontibus suis derivatam, inque varios titulorum rivos divisam, exhibuerunt ingenia eruditione tam sacra, quam profana longe instructissima. Nulla igitur jam ejus superesse videtur pars, nisi quam grati animi innuit honestas. Obligationem sc. hic intelligimus, qua Studiosus Stipendiarius Fundatori & Administratoribus Stipendii obstringitur ad Specimen Eruditionis edendum. Stipendia enim beneficiorum naturam induere uno fere ore JCti fatentur omnes. Grate itaque & hæc beneficia ad quosdam pervenisse indicandum est effusis affectibus: *Qui enim grate beneficium accepit, primam ejus pensionem solvit. Sunt quidam, qui nolunt nisi secreto accipere: testem beneficii & conscium vitant: quos scias licet male cogitare. Quomodo danti in tantum producenda notitia est muneris sui, in quantum delectatur a est eum, cui datur: ita accipienti adhibēda concio est. Quod pudet debere, ne acceperis. Quidam furtive agunt gratias, & in angulo, & ad aurem. Non est*

ista

ista verecundia, sed inficiandi genus. Ingratus est, qui remotis arbitris agit gratias. Quidam nolunt nomina secum fieri, nec interponi pararios, nec signatores advocari, nec chirographum dare: idem faciunt, qui dant operam, ut beneficium in ipsos collatum quàm ignotissimum sit. Verentur palam ferre, ut sua potius virtute, quam alieno adjutorio consecuti dicantur. Rariores in eorum officiis sunt, quibus vitam, aut dignitatem debent: & dum opinionem clientium timent, graviorem subeunt ingratorum, inquit *Seneca Lib. II. de Benef. Cap. 23.* Et hoc sensu publicum Eruditionis Specimen ab Alumno OELHAFIANO editur, ut publice ita Fundatoris Viri Amplissimi, Spectatissimi DNI. DAVIDIS OELHAFII propensa in DEum pietas, in studia favor, in egenos liberalitas innotescant. Nos interim publico huic testimonio privato subscribimus voto, piis manibus gaudii cælestis æternitatem, mollem cineribus quietem, nomini OELHAFIANO gloriam, ipsisque Amplissimis Administratoribus perennem optantes felicitatem.

CA-



Caput. I.
De
Obligatione a Subjecto.

Conspectus.

§. *I.*

Explicatio terminorum Studiosi. §. *2. Et Stipendiarii.* §. *3. Requisita essentialia in Studioso Stipendiario sunt capacitas naturalis & industrialis.* §. *4. Incapaces igitur natura plane admittendos nõ esse ad stipendium capiendum docetur.* §. *5. Adduntur hic temperamenta quædam.* §. *6. Præsupposito jam capacitatem adesse, necessitas speciminis edendi demonstratur (1) ab Amore DEI.* § *7. Resolvuntur contraria argumenta.* §. *8. Argumentum (2) proponitur ab amore proximi & Reip.* §. *9. Resolvuntur contraria.* §. *10. Argumentum (3) proponitur ab amore sui.* §. *11. Resolvuntur contraria.* §. *12. Argumentum à capacitate industriali breviter exponitur.*

§. I.

STudiosi nomen vario sensu accipi innuit laxa vocis (*studiorum*) primitivæ, a qua derivatur, significatio, adeo ut omni artium tam liberalium, quam illiberalium studio addictis speciosa hæc appellatio denegari nequeat l. 13. & l. 53. *ff. de Fidei commiss. libertat. Tab. in Racem. Criminal. p. 228.* Strictioribus termi-

nis includitur, quando illam literarum cultores sibi vindicant tanquam propriam, exclusis reliquarum artium peritis. Et hac ratione nomen Scholarium & Studiosorum eundem sensum exprimit. *Auth. Habita. C. Ne Filius pro Patre. Rebuff. de Privileg. Scholar. Besold. in Tract de Jure Acad. Cap. 5. f. 215. Spekhahn. in Centur. 2. Class. 1. Q. 11. Svevus in Diss. Acad. ad d. Auth.* Cum vero & in literarum cultu distinctio esse soleat inter facultates superiores & inferiores, Studiosi nomen illis imprimis speciale esse cœpit, qui superioribus se jam applicant, reliquis titulo Scholarium donatis, qui sc. Scholas adhuc triviales frequentant *vid. Limn. J. P. Lib. 8. c. 6.* Superiorum vero Facultatum nomine hic intelligi Theologiam, Jurisprudentiam, Medicinam & Philosophiam demonstravit *Carpzov. Jurispr. Consist. Lib. III. Def. 12.* Strictissima tandem nominis Studiosi acceptio Juri addictos tangit; eosque non omnes, sed illos tantum, qui Jurisperitia instructi rebus tractandis apti sunt, gloria vocis istius gaudere docent. *l. 1. ff. de Offic. Assess. l. 9. §. 1. ff. de pœn. l. 4. ff. de extraord. cognit. conf. Brisson. de Verb. Signif. ad Voc. Studiosus.*

§. 2. Cum vero hic *Studiosum Stipendiarium* posuerimus, brevibus Vox Stipendiarii enucleanda veniet. Origo ejus militaris est, dum a stipe derivatur *l. 27. §. 1. ff. de V. S.* quæ militibus conferri solebat in præmium laboris. *Perez. ad tit. C. de his qui non impletis stipend. n. 1. Freudenb. de Rescript. Morat. Tit. 7. Conclus. 44. n. 44.* & in specie olim stipendiarii proprie illi dicti erant, qui vicena compleverant militandi pericula. *Cotæreus de Jure Militar. L. 1. c. 24.* Cum itaque studia militiæ æquiparentur *l. advocati 14. C. de Advocat. divers. judic. & gloss. in l. miles ff. de Re judic.* Vox Stipendii etiam piis donationis studiorum causa factis accommodatur. *Gockel. Diss. de Piis Donat. th.*

3. &

3. & 31. recteque a Generoso Domino a *Sekendorff. in Tractat. de Regimin. Stat. Princip. Germ. P. 2. c. 14.* exprimitur Germanice, quod sit. **Eine jährliche Reichung eines gewissen Geldes vor arme Studierende Jugend.**

§. 3. Propius jam obligationem e Subjecto seu ex persona Studiosi Stipendiati deducturi duplex momentum præsupponimus, *Capacitatem Naturalem, & Industrialem*. Primum itaq; requisitum erit *Capacitas Naturalis, s. aptitudo ingenii ad studia tractanda* (1) cum etiam studia sint actus meri intellectus & applicationes vehementes ad aliquid peragendum, ut loquuntur *Bald. in l. 1. §. hujus studii n. 4. ff. de J. & J. & Jas. Consil. 149. colum. 1. Lib. 4.* Artium vero illiberalium negotia sensibus ut plurimum externis, multisque laboribus & molestiis perficiantur. *vid. Thom. Garz. Piazzo Universal. 1. Discurs. 1.* Ingeniorum selectum pro studiorum cultura instituendum esse, recte monuit *Spizel. in Infelici Literato Commonefact. 13. de animo docili pr.* (2) Metus quoque hic non infimus subest Remp. maximis exponi periculis, si quoslibet ad literaturam, eosque incapacissimos trahat, vel gloriæ ex literis vanitas, vel parentum de liberorum aptitudine cæca ex amore opinio, vel Præceptorum lucri causa injecta de capacitate infantum Parentibus vel agnatis persuasio. Hinc illæ lacrymæ, dum a semidoctis istis publicum statum maxime lacerari demonstravit ita non inconvenienter de Moribus Galliæ *Gramond. Histor. Gallic. Lib. III. f. 199.* *Palam est, inquit ille, lethalem esse Reip. lippis & tonsoribus promiscuum scientiarum usum; qua ex causa arceri olim soliti profani a Sacris, queis scientiarum arcana continentur. Ex quo strata cuilibet in Parnassum via facilis, paucis in summum apicem ascensus est.*

Da-

Docet nos experientia seculi, sub quo vivimus, pauciores esse eruditos, quo plura collegia sunt. Triginta jam anni volvuntur, ex quo Gymnasiis obruimur, ubi amabo augmenta literarum? ubi probati Autores per hæc tempora? Si qui meruere in re literaria nomen, supra ætatem nostram sunt, apud veteres magistros instituti, aut in majoribus Gymnasiis. Obstat item ratio politica, qua docemur stare & augeri commerciis regna, quæ ire in pejus & minui certum est, ubi quilibet e populo sectatur literas: raro mercatorem se ferat, qui ex literis gloriatur. Hinc litibus augmenta in pagis, dum vasallus vana Latinitatis imagine, qua illuditur, litem feudi Domino movet: Hinc advocatulis implentur oppidula, aut notariis deterrimo hominum genere, cui velut hirudinibus populi sudor & sanguis vita sunt. Huc trahendum prudens Perezii Consilium *ad Tit. C. de Profess. qui in urbe Constantinop. L.12. n.6. Invigilandum est Principi, & illis qui ejus consilia dirigunt, ut selectæ sint Academiarum leges, selecti Professores, & discipuli, quos se vitæ integritas & ingenium probarit, rejiciatur nimia illa turba sectantium juris studia, præsertim plebejorum & miserorum, ne ars tanta propter tenuitatem, a religionis auctoritate abducatur ad mercedem & quæstum, summa est enim perversio finis Jurisprudentiæ, quod solo divitiarum voto discatur & ad quæstum convertatur.* Jam vero id quod tanquam Reip. imminet periculosum fugiendum, aut tollendum esse docet *l. congruit. 13. ff. de Offic. Præs. Conf. Carpz. de Leg. Reg. c. l. s. 18. n. 9.* (3) Ipsis quoque personis, earumque familiis talem ad studia pruritum maxime damnosum existere, testatur experientia, dum exclusi a publicis muneribus & paupertate atterantur & ludibrio aliorum exponantur, &

pa-

parentibus ipsis graves existant, qualem quidem pruritum coercendum esse rectè statuit Fürstl. Magdeburgische Schul-Ordnung *de anno* 1658. *Sect. II. C.* 7. §. 7. *verb.* Daß nicht einem jeden seines Gefallens zu studieren nachgelassen werde. Imo Parentes quoque istos maxime peccare constat vel inde, quod liberis non recte consilio integro prospexerint, atque ita pietatem officii paterni non expleverint. *arg. l. in ea 22. ff. ad L. Jul. de adult.* Nec interest hic an mandaverint, an consuluerint, an suaserint tantum. Quæcunque enim verba hic a Patre intercesserint, propter autoritatem dicentis & respectum ex imperio & obedientia connexum, mandati vim obtinent. *l. 1. §. 2. ff. mandati. Dunozet. Decis.* 329. *num.* 4. *Fagundez. de Justit. & Contract. Lib. 1. Cap. 5. n. 15. & Lib.* 4. *c. 7. n. 30. Molin. Tom.* 1. *de Justit. & Jur. Disp.* 239. Sibi itaque imputent Parentes, nec causam conquerendi arripiant, si forte alendi tales liberi ipsis graves existant. Involuntarium enim ex voluntario ortum habetur pro voluntario, & quæ antea fuerunt voluntatis, ex post facto fiunt necessitatis. *l. 17. §. 3. ff. Commod. Conf. Dn. Stryk. in Tractat. de Cautel. Contract. Sect. II. Cap.* 11. *th. 6. Berlich. P. II. Decis.* 246. *n.* 15. Denique & Præceptores tales peccare, & actione mandati conveniri posse statuimus, propter consilium persuasivum, quod magis in utilitatem persuadentis, quam discipuli tendit, adeoque a doli suspicione immune vix esse poterit, & actio doli in talem intentari. *l. 47. ff. de R. J. vid. Diss. Ampliss. Dni. Hoppi de Jure Ignotorum. Cap. III. n. 4.* Dolum vero hic subesse ideo constat (1) dum non tam discipuli, quam sui utilitatem intendisse videtur (2) dum Parentes alias non applicuissent liberos studiis tractandis, nisi persuasi fuissent. *arg. l.*

6. §.5. *ff. Mandati.* Nec obstat forte imperitia judicantis Præceptoris de capacitate discipuli. Est quippe talis imperitia, quæ in artis perito culpæ annumeratur. *l. 7. §. ult. ff. ad L. Aquil. conf. Bronchorst. in Comm. ad R. J. L. 46.*

§. 4. Præsuppositis itaque istis recte concluditur, incapaces istos nec ad studia tractanda, nec ad stipendia capienda admittendos esse, adeoque non immerito & Magistratus, & Parentes, & Præceptores iterum serio monet *d. Ord. p. 37. §. 17.* ne quivis ad studia tractanda admittatur. Verb. Weiln ein accuratum Scrutiniũ ingeniorum, und genaue Prüffung zũ Studieren tüchtigen oder untüchtigen Leutẽ hierbey höchst nöthig / dieweiln es nach dem gemeinem Sprichwort heisset: Non ex quovis ligno fit Mercurius: und aus sonderbahrer Verordnung des Allerhöchsten ein Mensch zu dieser / ein ander aber zu einer andern Wissenschafft mehr Lust und Beliebung hat / daher so wol die Obern / Eltern und Præceptores hierinnen gebührende Sorgfalt erweisen / und niemand zu solchen Dingen / wozu er gantz keine Lust oder inclination, mit Ungestüm und Gewalt zwingen müssen / denn es bleibt wol dabey:

Tu nihil invita dices faciesve Minerva.

Atque ita per consequens incapaces a stipendiis capiendis arcendi erunt (1) quia hæc dantur sub conditione, si forte quis studia tractare digne & ad officium Reip. tenendum habilis futurus esse possit. Conditio vero talis, quæ impleri nequit, Contractum reddit ipso Jure nullum. *l. impossibilis 7. ff. de V. O.* Contractum vero hunc innominatum, *do ut facias*, esse evincit natura Stipendii, *Do sc. stipendium ut studeas*, atque in Reip. utilitatem illud impendas. (2) Colligitur id ex natura beneficiorum, inter

quæ

quæ numerandum eſt ſtipendium : *vid. Gockel. Diſſ. de piis donat. th. 3. Ahasv. Fritſch. Tract. de Stip. & Stipend. Scholar.* Jam vero bene merentibus aut merituris, non vero a quibus nulla ſpes affulget, beneficia conferenda eſſe docet *l. 4. C. de ſtatuis & imag.* cum maxime eo reſpici debeat, ut ſalus Reip. per eos promoveatur, adeo ut is qui indignum elegerit, & exinde damnum fecerit Reip. illud reſarcire teneatur. *Leſſ. Lib. 11. c. 12. dub. 12. Covarruv. ad* 1. *peccatum* 5. *p. 3. de Reg. Jur. in 6. ſolo. Lib.* 10. *q. 6. conf. Diſſ. Dni Præſidis de Juſtitia Caſuum pro amico. Cap. III. §. 1.* Id quod ne eveniat, monitum Conſilii *Ordinat. Eccleſ. Saxon. cap. 2.* §. Damit aber / hic præcavebit. Verb. Ihres Ingenii, Wandels / Fleiſſes / und wie fern ſie in ihren Studiis kommen Zeugniß auffiegen. Et poſtea: Und ohne Anſehen der Perſonen allein die beſten Ingenia außerleſen / und und zu ſolchen beneficien befordert werden ꝛc.

§. 5. Ne tamen nimium hic rigorem ſequi videamur, temperamenta quædam addenda erunt. Dicendum igitur (1) incapaces hic a ſtipendio illo excludi, *quod ad ſtudia deſtinatum eſt*, ex natura ejusdem, & ex intentione fundatoris, quam omnibus modis obſervandam eſſe docet *l. 5. ff. Quemadm. teſt. aper. Natta Conſil.* 211. *n. 5. Vol. 1. Paul. de Caſtro in l. ex facto ff. de vulgar. & pupillar. ſubſtitut.* non vero alia ipſis alimenta deneganda erunt, ſi forte egeni exiſtant, cum quis necare dicatur, qui alimenta ſubtrahit. *l. necare 4. ff. de agnoſ. & alend. libr.* quia vento non vivitur *l. 2. C. in fin. de aliment. pupill. præſt. Limn. J. P. Lib. 8. C. 7. n. 1.* (2) illos hic intelligi, qui omni deſtituuntur ingenio, quales ſunt furioſi *l. 5. l. 40. de R. I. l. 1. §. 2. ff. de O. l. conf. Grot. de J. B. & P. Lib. II.*

C. II. impotes mentis, imo etiam ſtupidi & hebetes, quibus nullum ineſt, nec ſperari poteſt ingenii acumen *arg.* §. 4. *Inſt. de Curat.* Non obſtat *l. ob quæ vitia ff. de ædil. edicto.* Ubi in venditione ſervi vitium animi non attenditur, niſi ex vitio corporis proveniat. Reſp. agitur ibi de ſervo, a quo operæ corporis, non ingenii præſtari ſolent. Sed ſi expreſſe ingenii opera requiratur, aliter decidendum eſſe judicamus, eo quod res ipſa inutilis ad uſum, ad quem deſtinatur, reddita ſit. Et hinc etiam in animi vitio actioni redhibitoriæ tunc locum eſſe demonſtrant *Fagundez. de J. & J. Lib. 5. c. 38. num. 4. & Dn. Brun. ad L. 1. §. 5. n. 10. ff. de Ædilit. edict.* Nec obſtat hominem propter naturæ vitium jure ſuo privandum non eſſe, adeoque nec furioſum, nec amentem dominio excidere recte docuerunt *Victor. de Bello Lib. II. num. 5. 6. 7. Grot. de J. B. & P. Lib. II. Cap. 22. th. 10. n. 1. & cap. 3. th. 6.* Stat enim jus illorum intra actum primum, licet propter defectum rationis non poſſit pertingere ad actum ſecundum. Reſp. Diſtinguendum eſt inter *jus quæſitum* & *quærendum.* Illud nemini auferri poſſe, & nos non inficiamur. Sed hic de Jure acquirendo Quæſtio eſt, in quo incapacitas maxime nocet ob intentionem fundatoris, naturam ſtipendii & finem, quæ omnia capacitatem requirere videntur, *qua de re ſuperius.* Non vero hic tardiores intelligimus, quia in his ſpes non omnis abeſt, ſed accelerata tantum. Licet enim *male reſpondeant coacta ingenia, & reluctante natura irritus labor ſit*, uti loquitur *Seneca de Tranquillitat. animi Cap.* 6. abſit tamen, ut tardos a Muſarum aditu & conſortio excludamus, quin potius de iis optima quæque nobis quandoque polliceamur, cum tales ſint durabilioris natu-

turæ, & poſt diligentem culturam ſatis uberes ferant fru-ctus. *Plutarch. de Educat. Cap.4. conf. Spizelius in infelici literato. d. l.* (3) hic intelliguntur qui ſtatim initio & naturaliter quaſi incapaces fuere, non vero qui, poſtquam ſtipendio digni declarati ſunt, morbo, vel alio accidenti facti ſunt. Nam afflicto non eſt ulterior addenda afflictio, id quod Jura deteſtantur *l. Divus* 14. *ff. de Offic. Præſ.* Accedit, quod propter intertum metum incapacitatis ex morbo (cum reconvaleſcere poſſit) jus alicui certum auferri nequeat *Grot. Lib. II. Cap. 2. th.* 13. *num. 4.* Nec obſtat (4) caſum nocere facienti *l.* 15. §. *6. ff. Locati.* adeoque dum ſpecimen eruditionis edere nequeunt, eos ſtipendio dignos non eſſe. Reſp. ſpecialem eſſe Legum favorem erga liberalium Artium cultores, dum, quod ipſis ſemel datum eſt, repeti nequeat, ſi ſc. per ipſos non ſtet, quo minus expleant conditionem *l.* 1. §. 13. *ff. de Extraord. Cognit. Gail. Lib. II. Obſerv. 44. n.* 12. *Carpz. P. II. Conſt. 5. Def.* 10. Morbus tamen hic & furor ſimulati excluduntur, quia nemini dolus & fraus ſua prodeſſe & patrocinari debet. *cap. 2. in fin. X. de dolo & contumacia. Cap. ex tenore* 16. *in fin. X. de Reſcript. Bald. in Cap. quod in Eccleſiarum 7. n.55. verſ. quia dolus & fraus. X. de Conſtit. Hier. Schurff. Cent.* 3.

§. 6. Capacitatem itaque ingenii dum præréquirimus neceſſariam, Quæſtioni principali jam locum facimus. *An quis ad ſtudia animum applicans ad manifeſtandam ſui capacitatem naturalem publico ſpecimine in conſcientia ſit obligatus.* Reſp. Aff. ex triplici obligatione Amoris ſc. DEI, Reip. & Sui. I. Amor DEI hanc in nobis excitat obligationem ex eo, dum imago DEI ſumus *Geneſ. cap. 2.* Imaginem vero DEI eſſe ad naturam

 ejus

ejus h. e. ad ſummum virtutis gradum accedere. Et hanc non Chriſtianorum tantum, ſed & gentilium opinionem fuiſſe interpres eſt Seneca: *Nullo modo Tibi prodeſſe poſſum magis, quam ſi Tibi bonum Tuum oſtendero, ſi TE ab animalibus brutis ſeparo, ſi cum DEO pono. Epiſt.*41. & 124. Jam vero ſummi Entis eſt (1) eſſe communicativum ſui & operari, ut id doctiſſime deduxit. *Petr. Poiret. Tract. de DEO, Anima & Malo in Diſcurſ. Prælim.* §.3. Hinc is ab imagine DEI alienus eſſe videtur, qui ſui tenax, capacitatem ingenii includit, eamque privatis tantum applicat meditationibus, nullam publicæ utilitatis habens rationem. Et hos otioſis ſimiles nec futuri judicii vim evaſuros eſſe recte docuit *Balduinus in Caſibus Conſcientiæ Lib. 4. Cap. 4. Caſ. 4.* (2) Tum imaginis eſt revelare bonitatem & eſſentialem Principalis ſui, & hoc eſt quod Servator vult. *Matth.* 5. *v.* 16. *Luceat Lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona & glorificent Patrem veſtrum, qui eſt in cœlis.* Omnis quippe actio noſtra gloriam DEI intendere debet, uti recte Imperator *in Nov.* 109. innuit. Jam vero is, qui celat Divinæ potentiæ benignitatem ſibi collatam, gloriæ Divinæ adverſari videtur. Accedunt (3) expreſſæ Voluntatis Divinæ monumenta, quorum partem n. 2. exhibuimus, quibus addimus *Luc.* 12. *v.* 47. & *c.* 13. *v.* 7. *Job.* 15. *v.* 2. eorumque cumulum auget Parabola de commiſſa unius Talenti fide, cujus neglectum uſum graviter tuliſſe, ideoque privationem totius in pœnam dictaſſe œconomo dicitur Dom. *Matth.* 25. *v.* 28. Talenti vero expreſſione dotes animi ſeu capacitatem naturalem intelligi communi conſenſu fatentur Interpretes omnes. Ex quo fonte egregia videtur de prompta eſſe JCti deciſio in

l. li-

l. liber homo 13. *pr. ff. ad L. Aquil.* qua quis ſui non Dominus, ſed uſufructuarius eſſe aſſeritur. Jam vero uſufructuarii eſt cauſam proprietarii non deteriorem facere *l. item ſi fundi* 9. *pr. & l.* 1. §. 4. *ff. de Uſufr. l.* 2. *ff. ſi uſufr. petet.*

§. 7. Non obſtat (1) animi libertas a DEO conceſſa, quæ liberam de ſe ſuisque actionibus poteſtatem innuit. Reſp. Diſtinguenda illa eſt a licentia, quæ male diſpenſata libertas Senecæ dicitur *L.1. de Benefic. c.10.* quæ talis eſt, ſi uſurpetur contra amorem DEI, proximi & ſui. Hinc recte *Cic. Paradox. V. Quid eſt libertas? Poteſtas vivendi, ut velis: Quis igitur vivit, ut vult, niſi qui recta ſequitur, qui gaudet officio, cui vivendi via conſiderata atque prævisa eſt, qui Legibus non propter metum paret, qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat denique niſi libenter ac libere. Conf. Becm. Lin. Doctr. Moral. Cap.* 6. *th.* 7. Adeoque Libertas naturalis cum neceſſitate morali non pugnat. Hinc ſervus ille allegans expreſſe timorem & tacite intelligens ignaviam non excuſatur, quod talentum totum reddiderit. *Talentum enim quod reddit, non acceperat, ut depoſitum, ſed ut fidei commiſſum negotiativum, vel ut mutuum. Debuit igitur reddere DEO non modo talentum, ſed etiam officium cum lucro. Conf. Pareus ad Matth. cap.* 25. (2) Non obſtat exſpectandam eſſe Divinam Voluntatem in legitima vocatione, quam quis antevertere videtur ſpecimen eruditionis edendo, cum tamen ab ambitu & ſimonia quilibet ſepoſitus eſſe debeat *l.31. C. de Epiſcop. & Cler.* imo ut quis quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, requirit. *Perez. ad d. t. n.* 2. Ita de Cornelio Epiſcopo Romano, *Cyprian. L. 4. Epiſt. 2. ad Antonian. Iſte*

ad

ad Episcopatum non subito pervenit, sed per omnia officia ecclesiastica promotus, & in divinis administrationibus Dominum sæpe promeritus ad Sacerdotii sublime fastigium, cunctis religionis gradibus ascendit. Tum ipsum Episcopatum nec postulavit, nec voluit, nec ut cæteri, quos arrogantiæ & superbiæ suæ tumor inflat, invasit, sed quietus & modestus & quales esse consueverunt, qui ad hunc locum divinitus eliguntur, pro pudore virginalis conscientiæ suæ, & pro humilitate ingenitæ sibi & custoditæ verecundiæ, non ut quidam vim fecit, ut Episcopus fieret, sed ipse vim passus est, ut Episcopatum susciperet, conf. Dannhaw. P.II. Theol. Cas. Sect. 4. Q. 6. Resp. hoc ipso obtrusio spontanea inprimis malis artibus, pretio, commendatione illegitima damnatur, non vero medium emergendi justum publica Ecclesiæ & Reip. autoritate receptum: quale quid Specimen Eruditionis sacræ & profanæ esse nemo prudens vocabit in dubium, alias enim de capacitate constare non poterit, cujus tamen cognitionem necessario præmittendam esse docuit *Dannhawer d. l.* Jam quod publica autoritate receptum est, id ab ipso publico factum præsumitur, nec injustum dici poterit. *Cravetta Consil. 144. num. 3.* Sturdus *de alimentis Tit. 8. pr. 56. num. 88.*

§. 8. Succedit II. amor Reip. & Proximi, cujus utilitatem & salutem promovere est boni civis: dum enim quis membrum Reip. tanquam corporis est, membri quoque munia explenda erunt promovendo salutem totius & partium. Hinc recte Cicero, *Vir bonus*, inquit *& sapiens, & legibus parens, & civilis officii non ignarus utilitati omnium plus quam unius alicujus aut suæ consulit. Lib. III. de Finib.* Promovetur vero utilitas Reip.

ele-

electione dignorum, & bene merentium ad officia, *l. 4. C. de Statuis & imag. l. unic. C. de Potior. ad Munera nomin.* Electionem vero præcedere debet cognitio, qua constet de Capacitate eligendi, quaque omissa vitium Electioni inesse recte docuit *Perez. in Comm. C. ad d. L. unic. C. de Potior. ad mun. n. 3. & 4.* Quam cognitionem non nisi per Specimen Eruditionis prodi posse, indubium est. Accedit, quod, postquam quis habilis declaratus est, cogi possit ad munus Reip. suscipiendum, nec alia excusatione tutus sit, nisi aptiorem ostendendo *per d. l. unic.* de quo etiam aliter constare nequit, quam si propria prius aptitudo bona fide innotuerit Reip. Hinc peccatur ex neglectu speciminis (1) contra Remp. cujus utilitati promovendæ se subtrahit (2) contra Patronos eligentes, quos decepit, dum ignorantiam simulat. Patronorum enim est dignos eligere, adeo ut si forte indignum elegerint, ad damnum inde emergens Reip. resarciendum teneantur. *Bobadilla Lib. 1. Polit. c. 3. n. 76. & L. 3. c. 8. n. 45. 46. Guttierez. L. 2. Can. quæst. c. 11. n. 1. Molin. de Hispan. Primog. L. 2. c. 5. n. 46. & Perez. ad d. l. un. C. de Potior. ad muner. nom.*

§. 9. Obstare videtur, quod Reip. non subsit actus non socialis, qualis est Eruditio. Resp. Eruditio in se quidem spectata socialis virtus non est, redditur tamen talis pro certo rerum statu, & ad occurrendum necessitatibus humanis. Hinc illam Reip. quoque subjectam esse ex vi Dominii supereminentis deduci potest argumento *Gtotii de I. B. & P. Lib. 2. c. 25. th. 3. n. 4. Superior*, inquit ille, *potest subditum cogere, non tantum ad id, quod jure debetur stricte dicto, sed etiam ad alia, quæ virtus qualibet præcipit, quia in jure proprio superioris hoc est comprehensum.*

§. 10. Reſtat III. Amor ſui, quem non tantum Natura ipſa inprimit. *Nam ſimul ac natum eſt animal, ipſum ſibi conciliatur & commendatur ad ſe conſervandum, atque ad ſuum ſtatum & ad ea, quæ conſervantia ſunt ejus ſtatus, diligenda. Grot.* L. *1. c. 2. th. 1.* Sed & Sacer Textus præcipit, & tanquam naturalem inſtinctum præſupponit: *Nemo enim unquam carnem ſuam odit, ſed nutrit ac fovet eam ad Epheſ. 5. v. 29.* & *Stolidus*, dicitur, *is qui conſumit carnem ſuam apud Eccleſ. IV. v. 5.* Jam vero qui Eruditionem ſuam nullo probat ſpecimine, ut electus forte ſua quoque commoda promovere poſſit, negligit ſtudium ſe conſervandi: *Nam Sapientia abſconſa, & Theſaurus inviſus, quæ utilitas in utrisque Syrac. 20. v. 32.* Huc trahendum egregium *Gerhardi* judiciū ad *Matth. Cap. 25. §. 25. Qui donis ad docendum ſufficientibus inſtructum ſe ſentit, oret DEUM, qui operarios extrudit in vineam ſuam, ut per vocationem ordinariam ipſum mittere dignetur, quin nec indecorum nec inconveniens eſt; ut talis operam ſuam Eccleſiæ ad Eccleſiaſticam dignitatem offerat, atque ſic honeſtam vocationem exſpectet.*

§. 11. Et hæc ab amore ſui deprompta deciſio ulteriore deductione non egeret, utpote firma per ſe & conſtans, niſi obſtantia prius diluenda eſſent argumenta, quæ vim habere videntur. Et quidem (1) invito conferri beneficium non poſſe *l. 69. ff. de R. J.* Reſp. limit. niſi tertii jus ſimul concernat ut hic Reip. cujus intereſt bene meritos ad officia eligi *l. 3. §. præſes ff. de muner. & honor. Bronchorſt. ad d. l. 69 de R. J.* (2) contra modeſtiam quis peccare videtur, qui ſe ipſum tunc laudat, vel laudes captat, ſpecimen Eruditionis edendo, juxta commune proverbium: *Propria laus ſordet*: Reſp. non omnem

omnem propriam laudem improbari, sed illam tantum, quæ cancellos recti & honesti excedit; illam vero quæ tendit in conservationem sui, vitæ suæ, suique honoris, naturali ratione, & publica autoritate approbari, demonstravit *Thomas. Exercit. de Philautia c. ult. & 79. conf. Excell. Dni. Petri Schultzii Diss. de Jure Commend.*

§. 12. Jungenda jam venit paucis Capacitati Naturali *Capacitas Industrialis*, cujus notam & testimonium exhibet Specimen Eruditionis proprio Marte elaboratum. Industriam vero & diligentiam hic requiri innuit (1) natura *Studiosi*, cui a studiis & solertia nomen est, adeo ut is, qui diligentiam suam non probat aliquo actu, nec studiosus dici mereatur, nec Privilegiis Studiosorum gaudere possit. *arg. l. 9. C. de* SS. *Eccles. & l. in honoribus 8. ff. de Vocat. muner. Christ. Vol. 1. dec. 10. Brunn. ad d. l. 9. n.* 5. Accedit (2) Natura *Stipendiati* cujus est mereri industria beneficium sibi collatum, cum alias evertatur finis stipendii, Resp. inde incurrat damnum, & dignioribus hac ratione ad studia & stipendia capessenda præcludatur aditus. *Conf. Carpz. Dec.* 198. *n.* 12. Quam profectuum habendam esse rationem in Stipendiatis innuunt verba Rescripti Elector. Saxon. Facult. Witteberg. Euch ist unverborgen / daß unser Juristisches Stipendium, welches bißhero bey euch N. N. gehabt / nach dessen Endung wieder zuersetzen vonnöthen; wann dann bey uns N. und N. angehalten / als begehren wir hiemit gnädigst ihr ingesamt wollet beyde Supplicanten / neben andern unsern bey euch verhandenen Stipendiaten Juris von euch fordern / sie mit Fleiß examiniren / wie ein jeder bestanden / uns eine Censur übersenden / und aus allen denen / bey denen Pflichten / damit uns

 ihr

ihr verbunden / drey Personen / welche die besten profectus in Jure haben / ohn allen andern respect unverzüglich præsentiren &c. *Carpz. Jurispr. Eccles. Lib. II. Def.* 409. His jungi possunt Verba *Ordinat. Eccles. Rubric.* von den *Stipendia*ten *Cap. 1. in fin. ibi* : Damit jederzeit wo in der Kirchen oder Schulen Mangel an Leuten vorfallen / die Nothdurfft aus denselben ersetzet / und ein Vorrath von gelehrten Leuten durch GOttes Gnade und Seegen erzogen werden möge. Industria vero hic non fictitia aut simulata, sed vera intelligitur, adeoque si quis specimen Eruditionis non proprio Marte compositum pro suo venditet, peccare tunc recte dicetur (1) quod personæ industria hic sit electa: id quod eo sensu abundat, ut tunc propriæ operæ non alienæ admittantur. (2) quod hac ratione publicum decipiatur, cum homines plus sperent, quam est, promovendo indignum & sic Remp. & Ecclesiam maximis immergendo periculis & incommodis. *qua de re supra jam actum.* Hinc Præsides tales maxime peccare indubium est, qui sc. præter merita Respondentibus suis attribuunt laudes, id quod jucundo versu expressum exhibet *D. Besoldus* in Thesauro Practico Voc. Doctor.

Da kompt offt mancher her mit etlich wenig Bogen/
(Die Er doch nicht gemacht) groß pralend auffgezogen/
Und sagt / daß seye nun sein Disputation,
Die Er pro gradu hält / versteht doch nichts davon.
Dann wann Herr Urian hinkompt auf das Catheder
So schweigt Er wie ein Mauß / ihm zittert sein Geäder
Und alle Därm im Leib weiß weder aus noch an/
Weil Er kein Argument nicht assumiren kan.
Wie im Examine sie als die Stummen schweigen /
Und ihr Unwissenheit mit Reden mehr bezeugen
Das ist genug bekant / und hat ein kleiner Spalt
Offt solches offenbahrt / wiewol mans heimlich halt.

Noch

Noch gleichwol kompt hernach der Præses auffgetreten
Und sagt uns / wie wir da ein Candidatum hätten /
Der wär so hoch gelehrt / in allen so versirt,
Daß Er die Doctors Stell wol doppelt meritirt.

Caput II.

De
Objecto Obligationis seu Specimine Eruditionis Edendo.

CONSPECTUS.

§. 1. *Eplicatio terminorum speciminis.* §. 2. *Et Eruditionis.* § 3. *Quo in gradu Eruditionis Specimen edendum?* §. 4. *Quæ facultas a Stipendiario eligenda, & in qua Specimen edendum, si nihil ea de re dispositum fuerit a fundatore.* §. 5. *Temperamentum additur in eligendo studio.* §. 6. *Quid si facultas a testatore præscripta? quo genere seu modo specimen edendum? Resp.* (1) *examine, non favore sed pro conscientia instituto.* §. 7. (2) *Disputationibus.* §. 8. (3) *Concionibus* δοκυμαστικαῖς.

§. I.

Specimen jam Eruditionis edendum, tanquam Objectum intentionis examinandum instat. Varie illud edi posse constat, & quidem (1) per Examina, ex quibus Eruditio alicujus luculenter perspici potest. vid. *Carpz. Jurispr. Consistor. Lib. I. Tit. IV. Def. 49. Finckelthaus. de Jure Patron. cap. 6. n. 140. & Ordin. Eccles. Saxon. in Rubric.* von Beruff und Annehmung der Kirchen-Diener. (2) per Disputationes, quæ etiam nomine Speciminis veniunt, cum ab omni ævo dignissimum habitum

ſit Studiorum experimentem illis committere, cum nemo ſit quem non pudeat convinci diſputantem. *Auguſtin. Soliloqu. c. 7. conf. Limn. de J. Publ. Lib. 8. c. 6. num. 71. 74.* Sed hac de re infra fuſius. (3) Conciones δοκιμαστικὰς ſeu die Probpredigten. *Ordinat. Eccleſ. Elect. Saxon. ſub tit.* vom *Examine* aller Kirchen-Diener. *&c.* §. Alſo iſt auch *fol. 95.* quibus dona alicuius populo innoteſcant. *Ritters huſ. ad Novel. P. 1. c. 7. n. 36. & 37. Carpz. Jurispr. Conſiſt. Lib. II. Tit. 16. Def. 256. n. 5.* Analogiam quandam habet in opificiis das Meiſterſtück / quod perficitur hanc ob cauſam, ne idiotæ & imperiti, cum damno civium, ad exercendam artem, quam non perfecte didicerunt, admittantur, ne quis prius efficiatur magiſter, quam diſcipulus. *Matth. Steph. de Jurisd. Lib. II. P. 2. c. 8. n. 54. Limn. de J. P. Tom. 4. Lib. 4. c. 8. vid. & Beſold. Theſ. Pract. Voce* Meiſterſtück.

§. 2. Eruditionis in genere conſideratæ nomen, cum applicari ſoleat & ad ſummam ejus ſpeciem & ad infimam: *Speidel. in Additam. Pract. ad Voc.* Gelehrt. Quæritur jam, *quo in gradu Eruditionis Specimen edendum ſit?* Eruditio in infimo gradu h.e. in legendo & ſcribendo ſufficere videtur *arg. §. 8. Inſt. de Excuſ. Tut. & Curat. l. 6. §. ult. h. t. & l. 93. §. 1. ff. de Acquirenda vel omitt. hæredit.* Utpote quæ ſufficere dicitur ad utilitatem Reip. promovendam in adminiſtrando Tutelæ munere, id quod etiam publicum in Jure noſtro dicitur. *Pr. Inſt. de Excuſ. Tut. & Curat. vid. Cujac. ad h. t.* Bartolus ad humaniorem literaturam, Grammaticam ſc. & Rhetoricam reſpexiſſe videtur, dum expenſas ad ſtudia filii deſtinatas non ultra extendi voluit, quam quæ ſufficiunt ad promovenda Grammaticæ &c. ſtudia. *In l. legatis ff. de alim. &*

cibar.

cibar. relict. Qui summam Eruditionem requirunt, eo nituntur fundamento, quod ea demum sit vera eruditio, quæ summa seu potius doctrina dicenda. Hanc sc. inter Eruditionem & Doctrinam differentiam ex Autoribus Classicis deducunt. *Besold. & Speidel. ad voc.* Gelehrt. *& Rupert. ad C. Sallust.* Dum Doctus refertur ad disciplinas graviores, & solidam perfectamque doctrinam; Eruditus vero ad humaniorem literaturam & elegantiam.

§. 3. Verum omnia hæc nec in totum rejicienda, nec in totum admittenda. Eruditionem in legendo & scribendo sufficientem admittimus pro ratione Loci, Modi, Ætatis & Finis. *Ratione loci :* in Russia ultra legendi & scribendi Scientiam eruditum esse non conceditur, dictante id ratione status, quæ non patitur subditum Duce ipso doctiorem. *Olear. Lib. 3. c. 21. & 25. Conf. Chr. Func. Brev. Orbis hodie imperantis. Cap. 3. Erotem. 23.* Jam vero mores & consuetudinem cujusque regionis attendi justum esse dicitur *l. si fundus. 6. ff. de Evict. l. semper in stipul. ff. de R. J. l. 1. C. de mancip. liber. l. 2. C. Quemadm. testami aper.* Ratione *Modi :* Si hic præscriptus fuerit Stipendiario, ut eo usque studia exserat, valebit inde, quod pacta dent legem Contractui. *l. 1. §. si convenit ff. Depos. l. contractus 23. ff. de R. J. Bald. in legem quoties 12. n. 4. C. de suis & legit. lib.* Ratione *ætatis*, si forte exiguum tempus alicui concessum fuerit, sic non ultra exigendum, quam vires suppetunt, cùm impossibilium nulla sit obligatio *l. impossibilium 185. ff. de R. J. l. 35. l. 69. de V. O. c. 6. de R. J. in 6.* Etsi enim Stipendiarius teneatur ad Specimen eruditionis edendum, attamen non aliter intelligendum, quam in casu possibili, quando factum præstari potest, secus ubi præstari non potest.

Carpz.

Carpz. L.3. T. X. Resp. 49. n. 15. *Ratione Finis* item recte attenditur, an quis tantum ad tale munus obeundum destinatus sit, ad quod sufficiant humaniores literæ. Ita ad Tutelæ munus sufficit, si quis legere aut scribere sciat *arg. §. 8. I. de excus. Tut. & Curat. l. 6. §. ult. h. t.* Eodem modo judicandum erit de Bartoli opinione; nisi & insuper addendum, ipsum locutum fuisse de moribus seculi sui, quo omnis eruditio monasteriis inclusa fuit, laicis ab aditu ejus exclusis, *teste Gramondo d. l.*

§. 4. Ubi vero majore opus est eruditione, tale quoque eruditionis hic præsumitur intellectum specimen, quale tempori, & loco, & ætati & fini conveniens est. Ita in Theologo ad officium vocando id graphice requirit D. Dannhavver. *Eligatur*, inquit, *non qui solo ætatis privilegio gaudet, quem πολυτεκνία ad lautioris salarii ὄρεξιν stimulat, e prædicamento passionis patientior, sic enim fieri potest, ut indigniores promoveantur, digniores posthabeantur: sed qui in prædicamento actionis ad τόδε τι καὶ νῦν καὶ τὸ οὗ ἕνεκα aptior; qui plus se exercuit speciminibus, non tantum editis, sed & egregie editis; ad summam, unde fructus fertilior & succulentior speratur anteferendus illi, unde vel nullus vel minor.* Nec admittendus est, sub conditione resarciendi neglecta vid. idem. *Dn. D. Danubawer. P. II. Spec. Theol. Symbul. conf. D. Balduin. L. IV. Cas. Consc. c. 6. cas. 8.* In ICto eruditionem suam per Specimen probante, requiritur ut tale sit, ex quo constare possit de capacitate muneris subeundi *l. nemini licere* 11. *C. de Advocatis divers. Jud. Speculat. L. 1. P. 4. Tit. de Advocat. §. 1. n. 32. Berlich. P. I. Concl. 9. n. 56.* Idem in Medico observandum. De cujus enim vera & perfecta scientia non constat, nec Me-

di,

dicus dicendus eſt. *Farinac.5. Crimin. q. 120. n. 76. 77.* Adeoque qui talem ſe mentitur, neque eſt, pœnam doli ſuſtinet. *Menoch. 2. de arbitr. quæſt. Caſ. 581. Ripa de peſt. tit. de Remed. contra peſtes Medicor. 66.* Nec minor circa Magiſterii honores candidatis Philoſophiæ conferendos adhibenda cura, ut per ſpecimina diligentia eorum & eruditio innoteſcant. *arg. l. 57. ff. de V. S. conf. Beſold. Diſſ. ſpec. de Magiſtris & Baccalaureis.*

§. 4. A gradibus Eruditionis ſpecialius ad Facultates deveniamus, quærendo, *quam facultatem ſtipendiarius eligere, inque ea ſpecimen eruditionis edere obligatus eſt?* Præſupponendi hic ſunt initio caſus, & quidem (1) ſi nulla Facultas a fundatore præſcripta fuerit, ſic liberum erit ſtipendiario eligere, quamcunque libuerit; cum conditio & modus legati etiam in voluntatem Legatarii conferri poſſit. *l. 65. §. 1. ff. de Legatis I. conf. Donell. L. 8. c. 15. pr. lit. b.* Inprimis ſi conditio natura ſua ſit juſta & legitima. Jam vero omnibus Facultatibus ſua ineſt dignitas, ſua utilitas, ut ita Studioſus, cujuscunque Facultatis ſit, DEO, Eccleſiæ & Reip. inſervire poſſit. *Carpz. Jurispr. Conſiſt. L. III. Def. 12.* Theologiæ dignitatem dubiam quis non facile reddet, niſi quis humanæ rationis uſu privatus fuerit. Interim non obſtant calumniæ JCtis objectæ, communi Proverbio Juriſten böſe Chriſten & autoritate Lutheri in iisdem verbis fundatæ, quorſum & illud tendit, JCtum malum eſſe Chriſtianum *Meteran. L. Hiſtor. Belgic. ad fin.* Sane ſi ſimulatam, perverſam, artibusque illicitis mixtam quis eo intellexerit Jurisprudentiam, optimo jure ipſam damnatam habeat. *conf. fuſ. Bechſtad. in præfat. Tractat. de Bello. Walther de Privil. Dd. p. 163. Klock. Conſil. 29. n. 268. Beſold.*

Tract. Polit. de Educat. p. 134. Verum hæc simulata Jurisprudentia non est nisi nomine talis, adeoque & nomine indigna, illaque demum vere talis est, quæ justitiam ab injustitia distinguit, boni & æqui scientiam introducit. *l. 1. ff. de J. & J. Struv. Exercit. 6. §. 14. adeoque* Decalogum in se continere dicitur recte *Castelio de Statu Publico Europæ. c. 34. §.* 42. 43. nullamque differentiam inter JCtum, & virum bonum intercedere notavit *Gothofr. in Not. ad L. 1. §. 3. lit. n. ff. de peric. & commod. rei vendit.* Accedit ipsius Lutheri interpretatio In der Predigt/ das man Kinder zur Schule halten solle *Tom. V. Jen. Germ. f.* 180. *JCtorum ordo,* inquit ille, *DEI donum est eximium, utpote quorum beneficio imperia, magistratus, dominia, cujusque vita & bona, uxores, liberi, amici, contra malorum hominum injurias defenduntur, pax & tranquillitas bona generis humani inæstimabilia stabiliuntur, nulli libri pro dicendis illorum laudibus sufficient. conf. Exc. Dn. D. Schelgvigii Programm. Anno* 1688. Quæ contra Medicinam afferuntur, ejusdem momenti sunt, conferrique poterit. *Martin. Centur. 9. Disp. ult. §. ult. & Differt. Dn. Præsid. de Contractu Med. cum Ægrot. c. 2.* Quantum Philosophiæ illudatur ab ignaris occasione c. 2. ad Coloss. vid. Besold. ad voc. Philosophie Interim id de vera Philosophia dici nequit: de qua *Scheckius L. 1. Demonstrat.* egregie judicavit: *tunc sc. demum beatas & quietas fore Ecclesias, si aut Philosophi veri dent operam Theologiæ, aut Theologi philosophentur pie.*

§. 5. Quanquam & hic caute & conscienter eligendum sit studii genus: quod qua ratione institui possit, demonstrat *Dannhawer. Conf. Theol. P. II. Dial. 3. Q. 5. p. 710.* sc. attendendum esse ad naturalem instinctum, qui

vo-

voluntatis Divinæ circa talenti commissi dispensationem esse poterit interpres, imo & preces jungendas, quibus major eliciatur voluntatis Divinæ in stipendiario sensus. Nec spernenda item Virorum prudentum consilia, in scrutinio ingeniorum instituendo. *Conf. Janus Huartus in Tract. de Scrutin. Ingenio. in Proœm.*

§. 6. Posito vero jam (2) certam Facultatem a Fundatore præscriptam; qua ratione tunc Stipendiario studii genus eligendum, & specimine exprimendum veniat. C*ap. III.* exponetur. Propius hic accedamus ad Quæstionem principalem, *quo genere specimen optime edendum sit, ut de profectibus & eruditione constet.* Varia ejus genera esse supra expositum fuit, quibus singulis sua inest utilitas. De Examinibus certum est, optime illis explorari posse vires, & profectus Stipendiati, ita tamen ut Inspectores Examinis non favore, sed rei veritati ducti testimonium examinis præbeant, qua de re egregie iterum *Ordinat. Stipend. Coburg. verb.* Sollen die Inspectores wie ein jeder bestanden/und ihre Censur und Bericht nicht nach Gunst oder Freundschafft/sondern nach ihren Pflichten / damit uns sie verwand/ und nach ihren guten Gewissen/ als wir ihnen zutrauen / übersenden. Eadem ratione Stipendiati conscientia exigit, ne is se subtrahat Examini *per d. Ordin. Eccles. Cob.* §. Es sollen unsere ibi. sonderlich bey den Examinib9, welche alle halbe Jahr mit ihnen angestellet werden / sich jederzeit einstellen / und ohne sonderbahre Erlaubnüß unsers Consistorii, und des Inspectoris von denselben sich keines weges absentiren/ damit wir nicht zu ernsten Einsehen und Entziehung des Stipendii, durch ihren Unfleiß bewogen werden. *conf. plur. Dn.*

 Fritsch.

Fritsch. d. Tract. c. 9. n. 40. Et horum Examinum usum in rebus Ecclesiasticis tanti habuit antiquitas, ut jam inde ab Apostolorum temporibus in Ecclesia Examina Catechetica recepta, & pars essentialis ministerii necessaria fuerint. *Brunn. Consil.* 142. *n.* 94. Huc trahenda Examinis necessitas in Academico Doctore. *Additionator ad Lecturas Martini Uranii ad c. super eo 2. X. de testibus n. 6. f.* 115. adeoque minor fides habetur Ddibus Bullatis. *Melander in Comment. ad Process. Noe* Meurers. *f.* 115. *verb.* Es würde auch besorglich dieses einer Academie verkleinerlich seyn / wann dergleichen unexaminirte Ddres gemacht würden.

§. 7. Succedunt Disputationes, quæ partim quoad compositionem, partim quoad Respondendi & Opponendi promptam facilitatem, testimonium diligentiæ præbere solent. Quoad compositionem observandum (1) ut proprio Marte vel in totum, vel ex parte elaborentur, cum alias nec Præses nec ipse Respondens a suspicione doli immunis sit, & fundatoris intentio eludatur, & publicum præsumptione vana decipiatur. *conf.* §. *ult. Cap. 1. & Thomas. Tract. de Plagio Literario.* (2) ut materia non ridicula, nec inutilis, sed seria & ad vitam apta eligatur, cum hac ratione de ingenio & præcedentis vitæ abusu judicetur. *Nugæ enim delectant imbecillia ingenia, sicuti monstra in picturis*: ut recta judicavit *Scalig. Exercit. 62. L. 1.* Idem judicium est *Senec. de Brevit. Vitæ c.* 13. *conf. Limn. de J. P. L. 8. c. 6. n.* 72. (3) ut non adversetur religioni in Regno receptæ, imo nec illi quam fundator præcipit. Et hinc expresse in Ordinatione Stipendii Magdeb. *Tit.* 8. cautum: Es sollen alle Stipendiaten bevorab bey diesen besorglichen Zeiten / das

Ju-

Juramentum Religionis, ehe sie die Assignation empfangen / ablegen / rc. Quoad promptam Respondendi & Opponendi facilitatem, dubium videtur, an inde elici possit testimonium diligentiæ (1) cum sæpe usu veniat, ut homo deficiat, etiamsi ratio non deficiat, adeoque quia non est omnium disputare, ideo pauci disciplinæ disputandi gnari sunt. *Augustin. de Verb. Dom. Serm. 38. Nazianz. August. L. 2. Soliloq. c. 14.* (2) obstat sæpe naturalis modestia & generositas animi, quæ a contradictionibus adeoque disputationibus natura abhorret, & sæpe procacioribus major inest facundia. *Conf. Diss. de Regal. in Append. Besold. c. 10. p.* 1136. *conf. Heider. de Ira f.* 102. *Thom. a Villa Nova in* Concion. *f.* 165. Verum respondetur, id judicio boni & æqui censoris reliquendum, cujus erit ex circumstantiis judicare de capacitate Stipendiati, adeoque & hic modestiæ argumentum obtinebit in studio diversa tuendi, modo alia ratione constet de habilitate. Cæterum non diffitemur, magnum seculo nostro intercessisse disputandi abusum, de quo *Grot. in Proleg.* §. 52. *Antiqui in ipso diversa tuendi studio laudabile præbuerunt modestiæ argumentum, rationibus inter se certantes, non qui mos nuper literas adeo inquinare cæpit, convitiis, turpi fœtu impotentis animi.* Nec incongrue *Excell. Dn. Becm. in Consp. Doctr. Polit. c. 1. p. 4.* incommoda talium Disputationum ita exprimit. *Præparare sc. illas animos ad varietatem sententiarum & contradictiones in publicis negotiis excipiendas, adeoque esse instar venationum apud* Prin*cipes, quæ bellorum in pace imagines sunt.*

§. 8. Quid de concionibus dokimasticis seu Prob Predigten sentiendum sit, egregie *Gerhard. ad Matth. c. 25. p.* 1095. jam tradidit. *Non est indecorum nec*

inconveniens, ut quis operam suam Ecclesiæ ad Ecclesiasticam Functionem offerat, atque sic honestam vocationem exspectet. Adeoque sine suspicione obtrusionis, imo & ex conscientia manifestare quis tenetur talentum sibi concreditum *qua de re* Cap. 1. Qua ratione vero instituendæ sint, Theologici fori est, & in genere idem fere modus illis præscribendus, qui ordinariis injungitur, *vid. B. Dannhawer* P. II. *Specul. Theol. Symbul. Dialog. III. Q. 15.*

Caput III.

De

Obligationis Causis.

CONSPECTUS.

§. 1 *Duplex Obligationis causa exponitur* Principalis *& instrumentalis.* §. 2. *An fundator onere Speciminis edendi gravare possit* Stipendiatum. §. 3. *An certum temporis annum illi præscribere.* §. 4. *An modum & conditionem.* §. 5. *Resolvitur dubium: in incertam personam conferri beneficium, adeoque inutile esse.* §. 6. *An certam Facultatem præscribere & in illa certas hypotheses.* §. 7. *An Patroni obligare possint.*

§. I.

OBligationem a Causa deducturi, duplicem istam præsupponimus, *Principalem seu Constituentem & Instrumentalem seu Administrantem.* Principalis causæ nomine Fundator gaudebit, qui donat Stipendium, ut bonæ indolis juvenes, cum familiares, tum extranei, ex reditibus sustentati secundum fundationis literas & leges

stu-

ſtudiis operam navent, familiæ ornamentum, Reip. Salutem & DEI gloriam promoveant. *Gockel. de Piis Donation. th.3.* Nec intereſt, quisnam & cujus conditionis ſit, modo facultate alienandi gaudeat, cum nihil tam conveniens ſit æquitate naturali, quam voluntatem Domini volentis rem ſuam in alium transferre ratam haberi §. 41. *Inſt. de Rer. Div.* Adeoque a diverſis fundatoribus diverſa quoque ſtipendiorum genera dicta ſunt, qualia a Principibus, Comitibus, Nobilibus fundata Fürſtliche / Gräffliche / und Adeliche Stiffte appellantur. *Conf. Beſold. in Theſ. Pract. Continuat. ad voc.* Schul *Stipendiaten.* Eadem ratio eſt ſtipendiorum a Civitatibus privatisque fundatorum, quæ iisdem privilegiis gaudere recte docuit *Abasver. Fritſch. Tract. Nom. Polit. de Stipendiis & Stipendiatis c. 4. n. 13. 14. 15.* quo in loco inprimis Civitates Lubecam, Noribergam, Ratisbonam & Vratislavium commendat, quibus ſi non ſuperiorem, æmulam certe ſe præbet Civitas noſtra Gedanenſis.

§. 2. Exinde jam deducendum, *an fundator hac conditione ſeu potius hoc modo gravare poſſit ſtipendium, ut quis edat ſpecimen* Eruditionis. Reſp. Aff. (1) quia quilibet tam in actibus inter vivos, quam inter mortuos modum & conditionem alienationi rei ſuæ imponere poteſt. *tt. C. de his quæ ſub modo l. 17. §. 2. ff. de manum. teſt. l. 7. & 37. ff. de contrah. empt. & l. 11. §. 9. ff. Legat. III.* Accedit (2) pie acturum fundatorem, ſi modum certum ſtudiorum præſcribat, ut hac ratione magis excitentur animi ad ſtudia intenſius & diligentius tractanda, cum interſit Reip. non ſimulata ſed vera inſtructos philoſophia & eruditione habere cives *arg. l. 1 ff. de J. & J. Conf. Perez. ad d. t. C. de Profeſſ. qui in Urb. Conſtant. L. 12.* Et

hac

hac ratione finis ſtipendii maxime obtinetur : id quod verba ultima *c. 1.* der Chur-Fürſtl. Sächſ. *Stipendiat-*Ordnung in fin. egregie innuunt Verb. damit jederzeit/ wo in Kirchen oder Schulen Mangel an Leuten vorfält/ die Nothdurfft auß denſelben erſetzet/ und ein Vorrath von gelahrten Leuten durch GOttes Gnade und Segen erzogen werde möge.

§. 3. Imo etiam certum annorum terminum Specimini edendo præſcribi poſſe extra dubium eſt *arg.* §. 32. *J. de Legat.* In eo tamen prudentia & animi moderatio Fundatoris commendatur, ſi juſtos limites præſcribat, intra quos probabiliter edi poſſit ſpecimen. Et ut tantum de Profectibus ſummarum Facultatum loquamur, (de his enim & ſcopus Diſputationis noſtræ agit, cum regulariter tum conferri ſoleant ſtipendia, poſtquam quis rudiorem literaturam ſuperavit. *Meiſner in Schol. Babyl.* P. *II.* §. 57.) quinquennium aliis juſtus videtur terminus eſſe ; eo enim in ſpecie Jurisprudentiam abſolvi poſſe, innuit Imperator. §. *3. J. Prœm. & Conſt. Omnem ff.* §. *2.* Idem in Camera Imperiali deciſum fuiſſe vult P. *I. Tit. III.* §. *1.* An vero hæc annorum determinatio in reliquis ſtudiis obtineat, dubitare licet. Quinquennium, vel Sexennium quidem placere videtur *Ahasvero Fritſchio d. l. c. 6. n.* 12. *arg. Ordinat. Eccleſ. Coburg. Verb.* Wir wollen auch/ daß hinführo die Stipendia einem jeden Beneficiario 5. Jahr gereichet werden ſolle. *Et in Ord. Magdeburg. Stipend.* in quo ſexennium deciſum eſt. Verum, ſi, quod res eſt, dicendum, & hanc determinationem annorum valere quidem poſſe ratione Stipendii fruendi, non vero ratione Speciminis edendi, ob diverſitatem ingeniorum, quorum alia

præ

præ aliis citius maturescunt. Quæ ratio etiam quinquennii Juridici in arbitrarium tempus mutati allegatur in *Recess. Imper. de Anno* 1634. §. 28. *in fin. verb.* Auch nicht so starck auf das Studium quinquennale auf deutschen Universitäten/sondern auf Qualitet und Geschickligkeit gesehen werden soll. Et ita benigne in Ordinat. Ecclesi. Coburg. decisum, ut ad 5. annos stipendium conferri debeat, augendum tamen si spes profectuum adsit §. Wir wollen verb. würde sich nach Außgang derselben 5. Jahr befinden/daß eine sonderliche Hoffnung bey einem Stipendiario eines vornehmen profectus sich ereigene: wollen wir auf ein oder mehr durch ein sonderbahres Indult das Stipendium ihm prorogiren/ auch mit Gelegenheit mit einer Zubuß vermehren. Accedit tutius obtineri finem Stipendii (quem supra exposuimus, sc. ut tanquam dignus, Ecclesiæ, & Reip. inservire possit) si arbitrarium tempus pro modulo ingeniorum constituatur.

§. 4. Porro stricto Jure Fundatori liberam circa modum & conditionem concedi facultatem, supra demonstratum. Non obstat *l. 70. ff. de Legat. 2.* in qua legatarium, adeoque stipendiarium non posse in plus onerari, quam accepit. Resp. id in quantitate verum, non vero in specie v. c. si legati fuerint Sempronio 100. Taleri, ut navem, quæ plus valet, restituat. Acceptando enim legatum ad navem præstandam tenetur, nec ad residuum valoris actio datur. *Donell. L. 8. c. 9. lit. C. Menoch. Consil.* 206. *n.* 95. Idem obtinet in facto, quale hic intercedit, ad quod quis obligatur acceptando legatum minoris valoris. *l. 36. ff. ad L. Falcid. Menoch. Consil.* 206.

E *n.* 95.

n. 95. Nec obſtat (2) Impoſſibilitas, ratione exigui temporis & Stipendii, quæ pro non adjecta haberi ſolet §. *ult. J. de legat.* Reſp. diſtinguendo inter impoſſibilitatem in abſtracto, vereque talem, & in concreto h. e. in hoc vel illo Subjecto talem, quæ potius difficultas dicenda eſt. Illa pro non adjecta habetur bene tamen hæc *l. 4. §. 1. ff. de Statu liber. l.* 137. §. *4. ff. de V. O. Donell. L. 8. c. 32. lit. c.* Nec ignota ſunt exempla ingeniorum, quæ tenuibus ſubſidiis, brevique ſpatio temporis, ſtadium ſtudii certi, ſummo cum honore emenſa ſunt. Conf. Muller. *Diſſ. de Actibus oblativis* S. *I. th. 8.*

§. 5. Moveri quidem tandem poſſit, fundationem talem inutilem eſſe, eo quod in incertam perſonam ſæpe conferatur, cum de capacitate accipientis incertitudo ſit apud Fundatorem *arg. l. 27. ff. de reb. dub. l. 30. ff. de teſtam. tutel.* §. 25. *Inſt. de Legat.* Verum facilis in promptu eſt Reſponſio, incertæ perſonæ legari quidem non poſſe, niſi ex aliquo eventu certa fieri poſſit. *Mantica de Conjectur. Ultimar. Volunt. Tit. 4. n.* 16. & *Thuſchus Concluſ.* 45. *n.* 11. Id vero & hoc in caſu per Scrutinium ingeniorum expediri poſſe recte docuit *Meiſner. in Schol. Babyl. P. 2.* §. 57. Examine ſc. profectuum ab Inſpectoribus vel Præceptoribus inſtituendo.

§. 6. Præſuppoſitis iſtis extra dubium poſitum eſt, Fundatorem etiam certam præſcribere poſſe Facultatem eligendam, cum æqualis omnium Facultatum finis ſit gloria DEI & emolumentum Reip. & hinc Studioſi, cujuscunque diſciplinæ ſint, inſerviunt Eccleſiæ, & Reipublicæ. Jam quæ res in ſe bonæ, earum electio Fundatori libera eſt, ſine læſione conſcientiæ, quanquam ra-

tione Studiosi (1) jam supra monitum, caute ab hoc studii genus alterum præ altero eligendum esse (2) imo peccare si lucri v. c. Stipendii tantum causa certum sibi studii genus quis eligat, cum Eruditio mercenaria esse non debeat *arg. l. 1. §. 4. ff. de Extraord. Cognit.* Sed per se amore virtutis, amore promovendi commoda Ecclesiæ & Reip. amplectenda: quanquam doleant hic omnium nationum Dd. de seculi nostri depravati moribus. *conf. fus. Fritsch. c. 2. n. 6.* Sed jam quæritur: *An in facultatibus istis certas hypotheses præscribere possit Fundator?* Res videtur periculi plena, adeoque pro negativa securior videtur decisio (1) quod eruditio sit res intellectualis, quæ externam non admittit coactionem, adeoque cognitionum pœnam nemo pati dicitur *l. 18. ff. de pœnis.* (2) quod hæc conditio tanquam turpis, pro non adjecta haberi debeat *l. 1. ff. de Condit. Instit.* Turpis vero videtur, quæ vinculum conscientiæ imponit in rebus Theologicis, Justitiæ cursum impedit in Juridicis, periculum sanitatis curandæ infert in Medicis, veritatis indagationem excludit in Philosophicis. Interim tamen contraria sententia secundum effectus Juris Civilis magis in Jure fundata est, caute tamen & distincte explicanda. Et ut ad (1) respondeatur, facili limitatione refelli poterit, sc. cogitationum, atque adeo eruditionis pœnam nemo patitur, quatenus sc. in terminis cogitationis remanet, nec ad actum externum progreditur. *Barbos. L. 3 c. 26. ax. un.* & hinc in Theologicis, hæreticos beneficiis civilibus in pœnam exclusos fuisse innuit *tt. C. de hæret. & Manich.* In Juridicis nota est Decisio *Constitutionis Tanta* §. 19. *in fin. de Confirmatione ff.* qua allegans fragmenta antiqui

Juris tanquam temerarius & falfator æſtimandus eſt, imo & judex allegationes iſtas recipiens pro tali habendus eſt. *l.2. C. de V. J. E.* Qua ratione in Medicis opinio de Quinquina punita fuerit in Gallia *vid. Diſſ. Domini Præſ. de Contract. Medic. cum ægroto. Cap.* 1. Nec ignotæ ſunt in aliis locis receptæ, in aliis rejectæ hypotheſes Ariſtotelicæ, Scholaſticæ, Carteſianæ. Quoad (2) argumentum de turpi conditione, diſtinguendum erit dicendo, aliam eſſeturpem conditionem materialiter & formaliter aliã materialiter tantum, aliam formaliter tantum *arg. l. 1. ff. de Condict. obturp. cauſ.* Formalis turpitudo alia iterũ eſt moraliter, alia civiliter talis. De illa nobis ſermo non eſt, ſed de hac ſc. quoad effectus civiles, qui rei vel actui per tolerantiam (non vero per præceptionem) in Rep. recepto attribuuntur. Et hoc ſenſu etiam Synagoga religioſa res dicitur, & ab hoſpitatione Militum immunis eſt *l. 4. C. de Jud. & Calic. Chriſtin. Vol. 2. Deciſ. 42. n. 6. & Brunn. ad d. l.* 4. Eadem deciſio eſt in puncto Religionum, publico Magiſtratus & Reip. judicio receptarum, & quidem ob rationem publicæ tranquillitatis, ne ex illicitis motibus & turbis bello involvatur regio; quales in Germania vigore Pacis Religioſæ ſunt Romano-Catholica, Reformata & Lutherana. *Blum. in Proceſſ. Camer. T. 28. toto Swed. Introd. J.* P. *parte Gener. c. 3. n.* 11. in Gallia vigore Edicti Nannetici, olim Romano-Catholicorum & Proteſtantium & in ſpecie Reformatorum *Gramond. L. 12. p. 572. & L. 18. p. 797.* In Suecia vigore Sacramenti regii, Conſilii Upſalici de *Anno* 1593. Religioſi ſtatuti Orebroenſis de *Anno* 1617. ut & Legum a Carolo Guſtavo publicatarum Auguſtana confeſſio, excluſis

ſis Romanenſibus *Piaſec. Chron. p.* 114. *&* 117. *Reverſ. Reg. Car. Guſtav. n. 8. & Autor templi Pacis & Paciſcentium. Art. 7. p.* 385. In Polonia, Romano-Catholica, Reformata & Lutherana. *Conf. Hartknoch. de Rep. Polon. L. 2. c. 2. th. 4.* Hinc infertur ita: Quicquid publica Reip. autoritate receptum, privilegiis munitum, ejus electionem & ſequelam ſubditis concedi debere: jam omnes tres religiones receptæ, & ita liberum erit fundatori hanc præ alia Stipendiario ſequendam præſcribere, adeoque talis conditio turpis non eſt. Eodem ſenſu de reliquarum ſcientiarum hypotheſibus dicendum, quæ ſi receptæ fuerint indiſtincte cum libertate ſentiendi, liberum erit Fundatori hanc præ illa præſcribere, ſecus ſi una tantum publice recepta, & reliquæ damnatæ, ſic talis conditio recipiendæ iſtius hypotheſeos vetitæ, non tantum turpis eſt civiliter, ſed & nulla eſt, eo quod contra LL. poſita ſit *arg. l. 5. C. d. LL.* Hæc tamen vim obligandi non inducunt in Legatario vel Stipendiario, utpote cui liberum erit non acceptare ſtipendium, ſic per conſequens non implere conditionem; interim ſi nihilominus impleat, contra conſcientiam peccare ipſum nemo negabit, quod boni temporalis ergo animæ ſalutem in periculum conjecerit. Interim ſi unquam obtinere potuit ratio Ulpiani in *l. 4. §. 3. ff. de Condict. ob turp. Cauſ.* certe hic obtinebit, turpiter ipſum agere (ſc. moraliter) quod contra Conſcientiam Religionem quandam amplexus fuerit, ſed non turpiter (h.e. civiliter) agere, quod, poſtquam impleverit conditionem, Stipendium petat. Conf. *Covarr. in c. Peccat. X. de R. J. L. 6. p. 252. n.* 1. 2.

§. 7. Jam ad *Patronos* ſeu *Inſpectores* Stipendii

nos convertamus, qua ratione hi Obligationem imponere possint Stipendiario, & quidem (1) si fundatores modum præscripserint, sic quicunque fuerint sive Testamentarii, sive Legitimi, sive Dativi Inspectores, tunc tenentur eundem servare, cum illi sint instar Executorum testamenti, quorum est in omnibus servare voluntatem fundatoris *l. 28. C. de Episc. & Cler. Barry de Success. L. 11. Tit. 20.* Huc trahenda dispositio des Fürstl. Magdeburgischen Visitations Decret de Anno 1656. verb. So begehren wir / daß die verordneten Testamentarii (Inspectores und Executores) und die jenige / welche solche Stipendia in Händen haben / und ihnen die Auffsicht committiret und auffgetragen allen möglichsten Fleiß anstrecken / damit solche zum Studiren gewidmete Stipendia hinwiederumb im Gang und Schwang kommen / nichts davon absondern / vielmehr alles / was in den Testamenten zu Verbesserung verordnet / herbey gebracht rc. Et hinc proprie profanos in usus convertere non possunt Stipendia, cum id sit species sacrilegii §. 8. *J. de R. D.* imo præter intentionem Testatoris nec in alios pios usus v. c. alimentationem Parentum. Et hinc Parentes tales peccare docet Mengering, qui stipendia liberis destinata in usum domesticum impendunt in *Tractat. de Cas. Cons. c.* 10. *Cas. 92. p. 998.* Ita nec facile stipendia v. c. Theologica inprimis in Studiosos Juris, vel Medicinæ conferenda, propter majorem Theologiæ necessitatem & sanctitatem. Quam ob causam, sicut non facile Apostasia Studii Theologici conceditur *Speidel. ad voc.* Student. ita nec facile stipendii immutatio Lim. (1) nisi forte majus bonum immineat ex studiorum

mu-

mutatione. *Fritsch.p.* 68. (2) nisi causa, quam Testator indigitavit, cesset. *c.* 51. *X. de Reg. Jur. in 6. & l. 16. ff. de usufr. leg. conf. Carpz. Jur.* Consistor. *L. 2. D. 332.* (3) nisi probabiliter consensurus fuisset testator. Sed jam *quid si nihil disposuerit Fundator, an administratores obligare possint?* Resp. Videtur Neg. quia onera non sunt præsumenda, & in legatis ad piam causam semper præsumitur quod magis est, non quod minus. Sed rectius Resp. Affirm. ex natura stipendii, ut constet an recte impensum fuerit. Hinc egregie verba der Fürstl. Sächsis. Magdeburgischen Visitation Decret de Anno 1656. p. 35. Daß die Stipendia tüchtigen subjectis die es nützlich/ und nicht etwa zu prächtiger üppiger Kleidung/ oder sonst zur Quaserey anwenden. Qua ratione vero constare poterit de qualitate, nisi hanc per externum Specimen quis exprimat, cum nec Ecclesia de occultis judicet? Non credendum enim facile Parentum testimonio, utpote qui amore liberorum excæcati, semper in favorem liberorum illud deponent *l. parentes & Liberi C. de Test. Carpz. L. 1. Resp. 89.* Credendum hic magis videtur Præceptorum testimonio, cum perito de arte sua testanti credendum sit. *Cosset. in Singul. suis in verb. Testis. 9.*

Caput

Caput IV.
De
Obligationis Effectu.

CONSPECTUS.

§. 1. Constituitur triplex Obligationis effectus. §.2. Obligationis Naturalis species. §.3. Obligationis Civilis species. §.4. Qu. An condictioni causa data causa non secuta in repetendo Stipendio locus esse possit. §. 5. Ostenditur species Obligationis Civilis & Naturalis simul & inde orientes actiones.

§. 1.

BReviter denique cognoscendum erit, quemnam effectum Obligatio Studiosi Stipendiarii hucusque variis rationibus demonstrata, producere valeat. Cum vero triplex in Jure juxta effectus reperiatur Obligatio *Naturalis*, *Civilis*, & *Naturalis Civilisque* simul, tres quoque ex hac materia eruendi erunt casus, triplici Obligationi dictæ conformes.

§. 2. Obligationis Naturalis species in casu, si a Fundatore vel Administratoribus Specimen Eruditionis non fuerit exactum, conspicitur. Est enim Obligatio Juris Naturalis vinculum, quo quis adstringitur in conscientia ad præstandum id, quod honestas & æquitas exigit, sine conventione. *Strauch. Diss.12. de Nat.Oblig. Pact. & Contr.* §. *2.* quæ requisita casui isti maxime convenientia esse, ex antecedentibus constat. Interim effectum civilem nullum producere videtur, sc. ut Stipendiarius

con-

conveniri possit ad Specimen Eruditionis edendum. *Conf. generalia naturalis obligationis in Curt. Jun. ad Auth. res quæ n. 55. C. Communia de legat.* Cautela itaque hac supererit, ut adeatur Magistratus, petaturque ut ex officio nobili imponat Studioso necessitatem edendi Speciminis; quæ potestas Magistratui vi supereminentis Domini competit, quo subditum cogere potest non tantum ad id præstandum, quod stricto Jure debetur, sed & quod laudabiliter præstari solet, inprimis si accedat publica utilitas. *Conf. Anton. de Petr. de Potestate Principis c. 32. Sect. 4. n. 50. Menoch. Arbitr. Jud. Quæst. L. II. Cent. 5. Cas. 461. num. 13. Conf. Grot. L. 2. c. 25. th. 4. & L. 1. c. 2. th. 4. n. 3.*

§. 3. Succedit Obligationis Civilis species, in casu, quo Fundator vel Administratores certam in studio aliquo hypothesin præscripserint. Quæritur itaque an Stipendiarius acceptando legatum ad hypothesin illam amplectandam deque illa Specimen Eruditionis edendum conveniri possit? Resp. civiliter ipsum obligari constat ex eo, quod consensus intercesserit seu verus, seu fictus & simulatus *arg. l. 21. §. pen. ff. Quod metus causa* adeoque ipsum recte conveniri posse juxta effectum obligationis Civilis *conf. Schneidw. ad Inst. de Obligat. p. 361.* Verum juxta effectum ejusdem Obligationis Civilis, exceptione se ab Obligatione liberum reddere potest, propter naturalem Obligationis injustitiam *arg. §. 3. Inst. de Except.* (1) quia omnis promissio boni alicujus impeditiva non est obligatoria *Grot. L 2. c. 13. th. 7. num. 2.* (2) quia omnis Obligatio per errorem (qualis hic intercedit, dum quis initio veram credens hypothesin postea falsam repererit) contracta rescinditur *arg. §.*

 1. In-

1. Instit. Quib. mod. re contrah. Oblig. imprimis si tale quid emergat, quod antea non fuit præcognitum *Thom. c. 2. qu. 89.*

§. 4. Interim tamen quæritur, an condictioni causa data, causa non secuta, locus sit ad repetendum Stipendium ? Resp. Neg. quia per eum, qui promisit non stetit : quam rationem in factis non præstitit allegat *Struvius in Exercit. 18. th. 10.* jam vero res intellectus & conscientiæ non sunt in nostra potestate, & si per nos non stat moraliter, an falsam hypothesin [illegible] præ vera. Hoc ita tamen accipiendum (1) [illegible] jam sit consumpta, & accipientis inte[illegible] integra sit res & non intersit accipientis, pœnitentiam locus erit, *l. 5. pr. & §. 2. ff. de Condict. Caus. dat. caus. non secut. Struv. d. l. th. 15.* (2) si quis bona fide consumpserit, non vero qui simulans hypothesin consumpserit Stipendium, & postea falsam illam esse publice asserat.

§. 5. Restat tandem Obligationis Civilis & Naturalis Species in casu, quo stipendium sub expressa conditione Speciminis edendi alicui concessum. Et inde exsurgit vel actio præscriptis verbis ad implendam conditionem, vel actio causa data causa non secuta ad dissolvendum *conf. D. Brunn. Parat. Wesemb. ad Tit. P. V. Q. 3.* Illa eo usque agitur, donec impleatur conditio, aut si implere nolit, ad interesse condemnetur *l. fin.* C. P. *V. Frantzk. ad. d. t. n. 60. 61.* Hac vero agitur ad rem repetendam *l. 12. ff. de condict. caus. dat.* vel si res forte non exstet, ad æstimationem *arg. l. 65. §. 6. ff. de condict. indeb. Struv. d. l. th. 18.* Nec valet hic exceptio impossibilitatis in Specimine edendo ob defectum Eruditionis, cum illa non sit absolute talis, sed tantum in Persona accipientis,

quæ

quæ tunc non relevat a conditione *conf. Hillig.in Donell. L.14.c.25. Struv. Exerc.18.th.9.* Interim si per Stipendiarium non stetit, quo minus possit edere Specimen, forte per morbum vel aliam causam impeditus, ad reddendum Stipendium compelli non poterit, idque inprimis favore liberalium artium; quibus hoc privilegium concessum est. *l.38.ff.Locat.Conduct.l.1.& 13.ff.de extraordin.cognit.Gail.L.1.Obs.44.n.12.Mynsing.Cent. 3. Obs. 8. Carpz. P. II. Decis. 136. num.* 20.

COROLLARIA.

I.

Studiosus peregrinans in itinere in morbum periculosū incidens vovet, se dimidiam partem bonorum ad pias causas erogaturum, si convaluerit. Qu. an si liberos ex uxore ducta postea procreaverit, teneatur ad totum votum servandum: Resp. Neg. de Jure Canonico, cum limitatione in Evangelicis Ecclesiis recepta.

II.

Votum cælibatus ad certum tempus, injustum esse nequit in Studioso.

III.

Vidua tamen, quæ ſecundis nuptiis Jure Civili odioſis voto renunciavit, non obligatur eodem.

IV.

Vota Parentum ad liberos Studio Theologico vel Juridico deſtinandos, hos non obligant.

V.

Amore Scientiæ morientes, die ſich zu todt ſtudieren / certo ſenſu martyres dici poſſunt.

VI.

Die Dominica Jura ſtudere non licet.

